Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2751
Quelle:
Copyright:

ad Vitas Papar. Avenion. T. I. p. 876. quaedam e *Collatione* nostra profert.

Fol. 152. p. 2. *Collatio in creatione immediate sequenti.* Est vero haec *Collatio* Sermo prolixus a *Clemente* eodem habitus *Avenione* in consistorio a. 1344. dum Dominium Insularum *Fortunatarum* sive *Canariarum* una cum corona et sceptro conferret *Ludovico ab Hispania Cerdano* et *Claromontano* Comiti, quem *Imhofius* in *Corp. Hist. Geneal. Ital. et Hisp.* p. 367. nepotem *Alphonsi Cerdani* cognomento *Exheredis* dixit citato in rem suam *Mariana*, cum tamen hic *Hist.* L. XVI. c. 14. aperte *Ludovicum Alphonsi* hujus filium nominet. Possessionem Insularum nunquam adiit *Princeps* hic *Fortuniae*, ut illum in *epist.* a *Raynaldo* ad *h. a.* excitata compellat *Clemens*, sed exorto inter Anglos Gallosque bello in famosa Gallorum ad *Cressiacum* deletione anno 1346. occubuit. Adi hac de re *Thomae Walsinghami Chron. Ang.* inter *Camdeni Scriptt. Francof.* 1603. p. 165. f. qui tamen Insulas nostras male in *Mediterraneo* collocat, et *Raynaldi Hist. eccl.* ad *an.* 1344. ubi leges *Castellae*, *Lusitaniae*que Reges sat aegre in hoc Pontificis donum consensisse. Usus vero ille est, ut etiam *Walsinghamus* notavit, isthoc themate: *Te faciam principem super gentem magnam. Num. 14.* Sermonem vero sic est exorsus: *Mihi videtur, quod aliquis in scriptura de nouo fit et constituitur princeps* &c. De Insulis multa fabulosa ex *Isidoro* et *Speculo hist. Vincentii Bellovac.* congessit. Inter alia de *Capraria* nunc *Palma* dicta: *ibi fuerunt christiani et abbates et monachi valde sancti, vnde beatus augustinus scribit epistolam ad eudoxium abbatem Insule caprarie.* Quo loco manifestum est, non aliquam ex *Canariis*, sed *Caprariam*, hodie *Cabrera*, *Balearibus* adsitam intelligi oportere. Rationes demum consilii sui, quas adfert, nemo sane hodie probabit: *Patet ergo, quod in me est licet immerito auctoritatis et eminencie excellentia singularis; vnde ex potestate mihi data a Christo et reges et imperatores instituere et creare possim, sicut et predecessores nostri pluries fecisse leguntur. — Videtur etiam mihi, quod istam potestatem habeam — a concessione facta per Constantinum, qui dimisit Siluestro et eius successoribus totum imperium occidentis, sicut apparet in epistola Constantini, in qua etium fit expressa mentio de insulis et dominus Bonifacius VIII. Papa Rogerio de Loria quasdam alias insulas infeudauit* — Sed satis! Extat *Collatio* haec inter *Clementis Sermones* in *Cod.* Archiep. *Remensis*, monente Cl. *Baluzio* in *not. ad Vitas Papar. Avenion.* T. I. p. 913.

Fol. 156. *Collatio facta per sanctissimum patrem ac dominum nostrum dominum Clementem Papam sextum, quando fecit processus contra interfectores Andree regis Sycilie die preuia februarij pontificatus sui anno 4°.* i. e. 1346. Caedes